1604 d. 1 Dbris    Ex Ms. Cap. Varmiensis

# Cardinali Cynthio Aldobrandino.

255

Sigismundus III Dei gratia rex Poloniae, magnus Dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae, Livoniaeque, nec non Suecorum Gottorum Vandalorumque haereditarius rex.

Illmo et reverendissimo in Christo Patri domino Cynthio S. R. E. Ecclesiae Cardinali Aldebrandino, amico charissimo et honorande. Cum nuper reverendus in Christo Pater dominus Petrus Tylicki a Varmi: ad Episcopatum Vladislaviensem translatus sit, alterius Episcopi creandi causa, indicta a nobis capitulo electione Venerabilis Simon Rudnicki, praepositus Posnaniensis eiusdemque Collegii Canonicus, atque Regni nostri secretarius major concordibus omnium suffragiis electus est. Suffragata ei est vitae integritas, spectati mores, singularisque industria, quae nobis multorum Annorum spatio in obsequiis nostris et gravissimis quibus que rebus magna cum laude probavit. Quare etsi daturam id Sanctitatem suam commendationi nostrae conjunctae cum studiis Capituli Varmiensis, existimemus; ut Episcopatus iste, illi ab ipsius sanctitate conferatur et confirmetur, tamen ut et Paternitatis vestrae studium operamque ad id accedat, postulamus. Faciet nobis rem gratissimam Pat. vestra, quam de caetero bene valere optamus. Datum Cracoviae die prima Decembris Anno Domini MDCIV. Regnorum nostrorum Poloniae XVII. Sueciae XI

Sigismundus Rex

Illmo et Rmo in Christo Patri Dno
Cynthio S. R. Eccle Cardinali Aldobrandino
amico Charmo et honorando

Italica    Promot. ad Episco.